

se liberabunt dii lignei, & lapidei, & inaurati & inargentati, quibus hi, qui fortiores sunt,

57. aurum, & argentum, & vestimentum, quo operi sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent.

58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam: aut vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud: vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt, quàm falsi dii.

59. Sol quidem, & luna, ac sidera cum sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt.

60. Similiter & fulgur cum apparuerit, perspicuum est: id ipsum autem & spiritus in omni regione spirat.

61. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.

62. Ignis etiam missus desuper ut consumat montes, & silvas, facit quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt.

63. Unde neque existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quando non possunt neque iudicium iudicare, ne-

que quidquam facere hominibus.

64. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos.

65. Neque enim regibus maledicent, neque benedicent.

66. Signa etiam in cælo Gentibus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna.

67. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.


68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos.

69. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt dii illorum lignei, & argentei, & inaurati.

70. Eodem modo & in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter & mortuo proiecto in tenebris similes sunt dii illorum lignei, & inaurati, & inargentati:

71. A purpura quoque & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii. Ipsi etiam postremò comeduntur, & erunt opprobrium in regione.

72. Melior est homo iustus, qui non habet simulachra: nam erit longè ab opprobriis.



PROPHETIA EZECHIELIS.

EZECHIEL, cuius nomen fortitudo Dei explicatur, è nobili Sacerdotum stirpe ortus est. Inter eos fuit, qui primi omnium evecti fuere cum Iechonia Rege Iuda. Prophetare cepit in Chaldaea anno 5. deportationis eiusdem, ad annum usque 27. id est per 22. annos, quorum priores 11. cum undecim posterioribus IEREMIAE concurrunt. Et certè idem est utriusque prophetia argumentum; Et si rectius illud paulum, per anigmata videlicet & figuras, Ezechiël persequatur: quod idèd fecisse videtur, ne Babyloniis Iudaici populi res innotescerent. Quæ ergo Ieremias de excidio templi & urbis proponit, necnon de captivitate Babylonica, eadem Ezechiël repetit, maxime ut resellat ficta vaticinia pseudoprophetarum, Ieremiam falsitatis arguentium, pacemque & prospera omnia predicantium. Et sicut Ieremias aliis vicinis nationibus per Chaldaeos excidium intentat, ita facit Ezechiël. Denique ut Ieremias, sic ipse Ezechiël predicat reditum & liberationem Iudeorum à captivitate, Messia regnum, vocationem gentium, victoriam & instaurationem Ecclesie, & interitum hostium illius.

CAPUT PRIMUM.

Tempus & locus quibus Ezechiëli ostensa sunt visiones Dei: nempe in medio ignis similitudo quatuor animalium quæ describuntur, similiter & rotarum, firmamenti, throni, & hominis in throno sedentis igne circumdati.

\* Ineunte: A solemnitate illa scilicet redintegratione foederis, Iosue ann. 18. facta, ut notant Chaldaeus, Hieron. & alii: A deportatione Iechoniae anno item quinto ineunte, quarti mensis, quinto die, ut sit ann. M. 3409. vertes ante Chr. 595. Inf. 3. 23. & 10. 20. & 43. 3.



1. Factum est in trigesimo \* anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum † iuxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.

2. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrations regis Iochin,

3. factum est verbum Domini ad Ezechiëlem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldaeorum, secus flumen Chobar: & facta est super eum ibi manus Domini.

4. Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis involvens, & splendor in circuitu eius: & de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis:

5. & in medio eius similitudo quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

6. Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.

7. Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, & scintilla quasi aspectus æris candentis.

8. Et manus hominis sub penis eorum in quatuor partibus: & facies, & pennas per quatuor partes habebant.

9. Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. non revertebantur cum incederent: sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.

10. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis, à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.

11. Facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum:

12. & unumquodque eorum coram facie sua ambulabat: ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent.

13. Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.

14. Et animalia ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.

15. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia, habens quatuor facies.

16. & aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris: & una similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum & opera, quasi sit rota in medio rotæ.

17. Per quatuor partes earum euntes ibant: & non revertebantur cum ambularent.

18. Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus: & \* totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor.

19. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ.

20. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.

21. Cum

IN FESTO SS. EVANGELIST. MATTH. ET MARC.

\* Infr. 10. 12.



21. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum elevatis à terra, pariter elevabantur & rotæ, sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in rotis.

22. Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crytalli horribilis & extenti super capita eorum desuper.

23. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: unumquodque duabus alis velabat corpus suum, & alterum similiter velabatur.

24. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cum ambularent quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum. cumque starent, demittebantur pennæ eorum.

25. Nam cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas.

26. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.

27. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius & desuper, & à lumbis eius usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu:

28. Velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluvia. hic erat aspectus splendoris per gyrum.

## CAPUT II.

Roboratur Propheta exterritus, ut intrepide arguat rebelles filios Israël, si quomodo tandem ab inveteratis peccatis resipiscant; & iubetur comedere librum scriptum intus & foris, in quo erant lamentationes, & carmen, & vā.

Eodem  
ann. 3409.

1. **H**ÆC visio similitudinis gloriæ Domini. & vidi, & cecidi in faciem meam, & audivi vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum.

2. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos: & audivi loquentem ad me,

3. & dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad Gentes apostatrices, quæ recesserunt à me: ipsi & patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc.

4. Et filii durâ facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus:

5. Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quoniam domus exasperans est: & scient quia propheta fuerit in medio eorum.

6. Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides quia domus exasperans est.

7. Loquèris ergo verba mea ad eos, si fortè audiant, & quiescant: quoniam irritatores sunt.

8. Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te: & noli esse exasperans sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum & comede quæcumque ego do tibi.

9. Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum coram me, \* qui erat scriptus intus, & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & vā. \* Apoc. 5.

## CAPUT III.

Comesto libro datur Propheta facies adamantina, ut intrepide arguat durissimos filios Israël in transmigracione constitutos: missus autem constituitur speculator, qui si visum imminens malum non annunciat, eius qui perit reus efficitur; si autem annunciat, animam suam liberat, etiam si alius pereat: deinde campum ingressus, visaque ibi gloria Domini, iubetur in domo sua includi, tamquam vincus ac mutus.

1. **E**T dixit ad me: Fili hominis quodcumque inveneris comede: comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël. Eodem ann. 3409.

2. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo:

3. & dixit ad me: Fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. \* Et comédi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce. \* Apoc. 10. 9. & 10.

4. Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Israël, & loquèris verba mea ad eos.

5. Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israël:

6. ne-

6. neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones: & si ad illos mittereris, ipsi audirent te.

7. Domus autem Israël nolunt audire te: quia nolunt audire me. omnis quippe domus Israël attrita fronte est, & duro corde.

8. Ecce dedi faciem tuam valentiorum faciebus eorum, & frontem tuam duriorum frontibus eorum.

9. Ut adamantem, & ut filicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum: quia domus exasperans est.

10. Et dixit ad me: Fili hominis omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi:

11. Et vade ingredi ad transmigracionem, ad filios populi tui, & loquèris ad eos, & dices eis: Hæc dicit Dominus Deus: si fortè audiant, & quiescant.

12. Et assumpsit me spiritus, & audivi post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo,

13. & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.

14. Spiritus quoque levavit me, & assumpsit me: & abiit amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum, confortans me.

15. Et veni ad transmigracionem, ad acervum novarum frugum, ad eos, qui habitabant iuxta flumen Chobar, & sedi ubi illi sedebant: & mansi ibi septem diebus merens in medio eorum.

16. Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens:

\* Infr. 33.  
7.

17. \* Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël: & audies de ore meo verbum, & annuncias eis ex me.

18. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuncias ei, neque locutus fueris ut avertatur à via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

19. Si autem tu annuncias impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

20. Sed & si conversus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram.

21. Si autem tu annuncias iusto ut non peccet iustus, & ille non peccaverit: vivens vivet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti.

22. Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me: Surgens, egredere in campum, & ibi loquar tecum.

23. Et surgens egressus sum in campum: & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi \* iuxta fluvium Chobar: \* Sup. 1. 3. & cecidi in faciem meam.

24. Et ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos: & locutus est mihi, & dixit ad me: Ingredere, & includere in medio domus tuæ.

25. Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris de medio eorum.

26. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est.

27. Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat: & qui quiescit, quiescat: quia domus exasperans est.

## CAPUT IV.

Iubetur Propheta figurare obsidionem Ierusalem, ac dormire super latus sinistrum 390. diebus, super dextrum verò 40. ac vilem cibum & sedem confectum sibi preparare: quibus designet calamitatem filiorum Israël, obsidionem & afflictionem habitantium Ierosolymis.

1. \* **E**T tu fili hominis fume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo civitatem Ierusalem. \* Eodem ann. 3409.

2. Et ordinabis adversus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.

3. Et tu fume tibi sartagine ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter civitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circumdabis eam: signum est domui Israël.

4. Et



## CAPUT V.

*Per detonsos capitis & barba propheta pilos iussu Domini, varieque consumptos, designantur Iudæi, propter sua peccata fame & gladio consumendi: sic ut patres filios, & filii patres comedant; reliqui verò in captivitatem ducendi, ubi sint opprobrium ac stupor Gentibus, quarum superarunt scelera.*

(a) Qui totidem diebus, quibus archifima urbis obsidio erat duratura, & totidem annis iniquitatis domus Israël ab idololatria Ieroboami numeratis, (3. Reg. 12. 31.) tyrum exhibentur. (b) Num. 14. 34. (c) Totidem annorum, à renovato per Iosiam fœdere tyrum gerentes. 4. Reg. 23. (d) V. Jer. 52. 30. (e) Unciarum Gallicarum circiter. 9. 2. (f) Mensura Parisiensis paulo plus quam 3. demysiers. (g) Hebr. coques, sub cinere nempe stercoreis humani. \* Osee 9. 4. \* Inf. 5. 16. & 14. 13.

4. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israël super eo numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum.

5. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies: (a) & portabis iniquitatem domus Israël.

6. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò: & (b) assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta (c) diebus. diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. (d)

7. Et ad obsidionem Ierusalem convertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum: & prophetabis adversus eam.

8. Ecce circumdedi te vinculis: & non te convertes à latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ.

9. Et tu fume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam: & mittes ea in vas unum, & facies tibi panes numero dierum, quibus dormies super latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illud.

10. Cibus autem tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti statères (e) in die: à tempore usque ad tempus comedes illud.

11. Et aquam in mensura bibes, sextam partem (f) hin: à tempore usque ad tempus bibes illud.

12. Et quasi subcineritium hordeaceum comedes illud: & stercore, quod egreditur de homine, operies (g) illud in oculis eorum.

13. Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israël \* panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eieciam eos.

14. Et dixi: A a a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestiis non comédi ab infantia mea usque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro imunda.

15. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi firmum boum pro stercoreis humanis: & facies panem tuum in eo.

16. Et dixit ad me: Filii hominis: \* Ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem: & comedent panem in pondere, & in solitudine: & aquam in mensura, & in angustia bibent:

17. Ut deficientibus pane & aqua, corrumpat unusquisque ad fratrem suum: & contabescant in iniquitatibus suis.

18. Et tu fili hominis fume tibi gladium acutum, radentem pilos: & assumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & assumes tibi statiram ponderis, & divides eos.

19. Tertiam partem igni combures in medio civitatis, iuxta completionem dierum obsidionis: & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam verò aliam disperges in ventum, & gladium nudabo post eos.

20. Et fumes indè parvum numerum: & ligabis eos in summitate pallij tui.

21. Et ex eis rursus tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Israël.

22. Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras.

23. Et contempsit iudicia mea, ut plus esset impia quam Gentes: & præcepta mea ultra quam terræ, quæ in circuitu eius sunt. iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt.

24. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & iuxta iudicia Gentium, quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati;

25. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium.

26. & faciam in te quod non feci, & quibus similia ultra non faciam propter omnes abominationes tuas.

27. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres suos, & faciam in te iudicia, & ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.

28. Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus: Nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parceret oculus meus, & non miserebor.

12. Ter-

Eodem  
ann. 3409.

12. Tertia pars tui peste morietur, & fame consumetur in medio tui: & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium evaginabo post eos.

13. Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis.

14. Et dabo te in desertum, & in opprobrium Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis.

15. Et eris opprobrium, & blasphemia, exemplum, & stupor in Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cum fecero in te iudicia in furore, & in indignatione, & in increpationibus iræ.

16. Ego Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos: quæ erunt mortifera, & quas mittam ut disperdam vos: & famem congregabo super vos, & \* conteram in vobis baculum panis.

\* Supr. 4.  
16.  
Infr. 14.  
13.

17. Et immittam in vos famem, & bestias pessimas usque ad interneconem: & pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. ego Dominus locutus sum.

## CAPUT VI.

*Propter multiplicem idololatriam filiorum Israël, pradicuntur eorum urbes & excelsa dissipanda, & qui pestem, gladium, & famem evaserint, dispergendi inter Gentes, ubi malis pressi, convertentur ad Dominum.*

Anno M.  
3410.

1. **E**T factus est sermo Domini ad me, dicens:

2. Fili hominis pone faciem tuam ad montes Israël, & prophetabis ad eos,

3. & dices: \* Montes Israël audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, & disperdam excelsa vestra,

4. & demoliar aras vestras, & confringentur simulachra vestra: & dejiciam interfectos vestros ante idola vestra.

5. Et dabo cadavera filiorum Israël ante faciem simulachrorum vestrorum: & dispergam ossa vestra circum aras vestras

6. in omnibus habitationibus vestris. Urbes desertæ erunt, & excelsa demolien-

tur, & dissipabuntur: & interibunt aras vestra, & confringentur: & cessabunt idola vestra, & conterentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra.

7. Et cadet interfectus in medio vestri: & scietis quia ego sum Dominus.

8. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, cum disperfero vos in terris.

9. Et recordabuntur mei liberati vestri in Gentibus, ad quas captivi ducti sunt: quia contrivi cor eorum fornicans, & recedens à me; & oculos eorum fornicantes post idola sua: & displicebunt sibi met super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis.

10. Et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum ut facerem eis malum hoc.

11. Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israël: quia gladio, fame, & peste ruituri sunt.

12. Qui longè est, peste morietur: qui autem propè, gladio corruet: & qui relictus fuerit, & obsessus, fame morietur: & complebo indignationem meam in eis.

13. Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelsò, & in cunctis summitatibus montium, & subtus omne lignum nemorosum, & subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.

14. Et extendam manum meam super eos: & faciam terram desolatam, & desertam à deserto Deblatha in omnibus habitationibus eorum: & scient quia ego Dominus.

## CAPUT VII.

*Denunciat Propheta totius terræ Iudæ extremam & inevitabilem vastationem proximè imminere propter ipsorum scelera.*

1. **E**T factus est sermo Domini ad me, dicens:

Eodem  
ann. 3410.

2. Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israël: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.

3. Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas.

4. Et